

D. D.

APHORISMI,

QUOS

*Ex mandato Reverendissimi Dni EPISCOPI & PRO-
CANCELLARII, nec non Stimme Vener. Conf. Ecclesiastici.
Approb. Ampl. Fac. Phil. in Reg. Acad. Aboënsi.*

Publico examini submittunt

AUCTOR

**GUSTAVUS
CHRONANDER,**

Phil. Mag. & Coll. Sch. Tryv. Wasensis.

Et

**RESPONDENS
ELIAS DANIEL
CORPOLANDER,**

Satacundensis.

In AUDITORIO SUPERIORI Die VI. Martii
An. MDCCLXXIII.

H. A. M. C.

ABOÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

APHOR. I.

Quum memoria homini æque necessaria sit ac iudicium; utraque harum animæ facultatum in Scholis, ubi mentes puerorum formari debent, sollicite excolenda est, & probe cavendum, ne altera earum ita excolatur, ut altera negligatur. Quemadmodum enim memoria nullius, vel saltem exiguae est utilitatis, sine iudicio; iudicium etiam, ideas combinans, non potest ideis carere, & multum in functionibus suis impeditur, nisi mens magnam idearum copiam in promptu habeat. In memoria vero excolenda, potior ratio habeatur oportet memoriae rerum quam vocum; & memoria rerum a iudicio, ideas quasi in Systema redigente, multum juvatur.

APHOR. II.

Quoniam magna pars juventutis Scholasticae nec Sacerdotio nec officiis Academicis vel Scholasticis destinata est, & hanc ob causam, cum ad Academias pervenit, in studium Theologicum parum forsitan operæ impendit; jure a Scholarum Doctoribus exigi potest, ut discipulos suos contra eorum impetus, qui veritatem Religionis Christianæ impugnant, quantum in Scholis inferioribus fieri possit, bene præmuntant. Hoc enim neglecto, juvenes, nostris temporibus, antascripturariorum erroribus infecti, & in maximum æternæ salutis periculum ferri, & mali Cives fieri, facile possunt.

APHOR. III.

Geometriam in Scholis tractandam esse, nemo, nisi ejus ignarus, serio negare potest. Ut vero juventus Scholastica, de utilitate hujus scientiæ convicta, eo maiore eam addiscendi incendatur ardore, usus ejus in vita

ta communi illis diligenter ostendi debet, quantum quædem propositiones demonstratæ applicationi ansam præbent; qui finis eo facilius obtineri potest, cum discipuli in Scholis etiam nostris notitia Arithmetices necessaria imbuantur.

APHOR. IV.

Quamquam maxime persuasi sumus varietatem studiorum & argumentorum, quæ in Scholis tractantur, esse omnino utilem, cum videlicet ita adhibetur, ut jucundiora studia, animum juventutis refectiona, severioribus sapienter intermisceantur; eorum tamen subscribere sententia non possumus, qui multa ejusmodi simul inculcanda volunt, quæ difficultia & teneræ ætati tædiosa sunt; quam ob causam linguae Græcae studium non prius inchoandum nobis videtur, quam pueri maximas in lingua Latina superaverint difficultates.

APHOR. V.

Utile certe & necessarium est, ut Praeceptores juvenitatem literis deditam doceant, quomodo Romani locuti sint & scripserint; sed non minus utile erit, si eis narrarent, quomodo cogitaverint, & ad eorum in Patriam amorem imitandum sedulo hortentur.

APHOR. VI.

Historiam enim, imprimis autem Patriæ, in Scholis docendam esse, dubitandum non est. Multum vero utilitatis, quam jucundissimum hoc studium adserit, perditur, si Docentes discipulos ad facta honesta & præclara, quæ in Historia narrantur, imitanda, & ad vitia evitanda, excitare negligant. Omnim autem virtutis exemplorum, nulla plus efficaciam habent ad animos juvenum ad amorem virtutis alliciendos, quam ea, quæ a gestis majorum laudabilibus sumuntur. Hæc enim obligationem quandam nobis quasi imponunt, vitam & mores sic institu-

stituendi, ut honor, nationi nostræ a majoribus hæreditate traditus, sine detimento ad posteros quoque propagetur.

APHOR. VII.

Cum eujusque mortalium interfit officia & jura sua posse; tuto dicere audemus, perquam utile fore, si brevis & captui puerorum congruens Doctrina Moralis in Scholis explicaretur. Hujus vero institutionis scopus esse debet, ut teneræ mentes ad virtutem fleantur, & voluptatem percipiant, quam generosi animi, officiis suis satisfacendo, sentiant; In quem finem, missis omnibus tricis, ejusmodi motiva, quæ animum efficaciter movent, adhibenda sunt,

APHOR. VIII.

Magna inde Patriæ adflueret utilitas, si Scholæ, quæ reales dicuntur, instituerentur, vel numerus Docentium in Scholis nostris publicis ita augeretur, ut juventus in eis scientiis, quarum usus in commerciis, artibus, re metallica, agricultura & aliis quæstuum generibus maxime se exserit, melius instrui posset, quam nunc fieri potest.

APHOR. IX.

Præceptor, qui non solum valetudinis discipulorum debita tangitur cura, sed etiam mente in Patriam bono Civis dignæ affectus est, discipulos suos ab ejusmodi exercitiis, quæ corpus sanum & firmum animumque intrepidum reddunt, prohibere non debet; modo debita in eis suscipiendis adhibeat prudentia. Si enim ii, qui in Scholis ad officia Civitatis publica preparantur, mollitatem & timiditatem perversa educatione contrahunt; hæc corruptio facile totam sensim inficit nationem; adeo ut ad omne magnum & heroicum inepta, vicinorum contemptui & insultibus tandem exponatur. Nec gravi vacant culpa, qui juventutem ita educant, ut illud corporis & animi robur, quo Sveones semper excelluerunt, diminuat & gens nostra sic e pristina decidat dignitate.

APHOR. X.

Tuto asserimus, animam in corpus agere posse, licet modus agendi nobis ignotus sit. Nec dubitamus, quin anima mutationes in corpore productas agendo percipere possit. Quum enim DEUS, qui Spiritus est, in corpora agat, & omnia, quæ in mundo materiali fiunt, actiue cognoscat; actio in corpora, & actiua cognitio, naturæ Spiritus contrarie non sunt; unde nihil impedit, quominus DEUS potuerit has facultates etiam animæ humanæ largiri.

